

In statuam Amoris.



*Quis sit Amor plures olim cecinere poëta,
Eius qui uario nomine gesta ferunt.
Conuenit hoc, q̃ ueste caret, q̃ corpore paruus,
Tela alasq̃ ferens, lumina nulla tenet.
Hæc ora hic habitusq̃ dei est, sed dicere tantos
Si lisset in uates, falsa subesse reor.*

*Eccur nudus agat: diuo quasi pallia desint,
Qui cunctas domiti possidet orbis opes.
Aut qui queso niues boreamq̃; euadere nudus
Alpinum potuit, strictaq̃; prata gelu?
Si puer est, puerum ne uocas qui Nestora uincit,
An nosti Ascræi carmina docto senis?
Inconstans puer, hic pernix, pectora quæ iam
Trans adiit, nunquam linquere sponte potest.
At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curuare infans cornua dura ualet?
Alas curne tenet, quas nescit in æthera ferre?
Inscius in uolucrum flectere tela iecur.
Serpit humi semperq̃; uirum mortalia corda
Lædit, & haud alas saxæus inde mouet.
Si cæcus uitamq̃; gerit, quid tenia cæco
Vtilis est? idæo num minus ille uidet?
Quis ne sagittiferum credat qui lumine captus
Hic certa, ast cæci spicula uana mouet.
Igneus est aiunt, uersatq̃; in pectore flammæ,
Cur age uiuit adhuc? omnia flamma uorat.
Quin etiam tumidis cur non extinguitur undis.
Naiadum quoties mollia corda subit?
At tu ne tantis capiare erroribus audi,
Verus quid sit Amor carmina nostra ferent,
Iucundus labor est, lasciua per ocia, signum
Illius est, nigro punica glans clypeo.*